

SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM II.
DE
DELICTIS ECCLESIA-
STICIS IN SPECIE.

CAPUT I.

De Simonia.

SUMMARI A.

1. Papa Simoniam potest committere in rebus, ab intrinseco spiritualibus. 2. Non verò, si ex utraque parte interveniat res spiritualis. 3. & seqq. An etiam, si res ab extrinseco sit spiritualis? Ratio dubitandi? 6. & seqq. Teneatur & defenditur sententia negativa. 9. & seqq. In Capellanis, Autoritate Pontificia non

erectis, non committitur simonia. 12. & seqq. Respondetur ad objectionem, & annexitur cautela. 16. & seqq. Explicatur, an & quomodo timor omittendi rem temporalem fundat simoniam in electionibus. 18. & seqq. Item si permuetur electio cum electione. 23. Item si quis incusat alteri timorem, ut ab electione desistat.

QUÆSTIO I.

An Papa Simoniam committere possit?

1. Certum est I. Papam committere simoniam, quando res ab intrinseco spiritualis datur pro re temporali: cum enim Jus Naturæ & Divinum absolute hanc dationem & conventionem reprobet, etiam Papa, cui nulla in hoc jure dispensandi facultas competit, agendò contrarium simoniacus evadit. Eminentiss. Card. Petra ad *Constit. Apostol. tom. 4. pag. 503. num. 17.*

2. Certum est II. Papam non committere simoniam, quando res spiritualis datur pro alia spirituali. Quantumvis enim in hoc passu frequenter committatur simonia contra Jus merè Ecclesiasticum; quia tamen S. Pontifex jure merè Ecclesiastico non ligatur vi directiva; & si causa aliqua suffragetur, ne quidem indirectè stringitur: vix est, ut in tali circumstantia labem simoniacam incurrat.

3. Incertum verò & dubium est, an, si res ab extrinseco spiritualis v.g. beneficium Ecclesiasticum detur pro re temporali, Papa simoniam committere possit? Illi, qui affirmativè concludunt, ita ratiocinantur. Ejusmodi simonia adversatur Juri Divino, prout nos ipsimet terminus in *hoc cap. à num. 26.* Ergo etiam Papa in illum incidere potest, si beneficium Ecclesiasticum pro pecunia conferat: quamvis enim in ejus potestate sit, titulum spirituales beneficii separare à jure temporali;

id tamen solummodò obtinet, quando titulum beneficii penitus extinguit, & jus ad fructus merè temporale efficit, ac v.g. homini etiam laico tribuit, aut pensionem desuper erigit: at quando titulum non extinguit, sed reipsà confert novo beneficiato, non potest jus temporale seorsim à spirituali seu titulo beneficii alicui vendere, quin & jus spirituale simul vendat. Verùm in contrarium stat firma ratio, tamque solida, ut simul priorem enervet. Hòc ipsò siquidem, quòd in jure ab extrinseco spiritualibus v.g. beneficio Ecclesiastico nexus & conjunctio rei spiritualis cum temporali facta sit Autoritate Pontificia, potest is nexus eadem Autoritate iterum dissolvi; non tantum si titulus penitus extinguatur, sed etiam si titulus, seu jus spirituale, prævisum à temporali, gratis detur, & pro temporali aliquid temporale recipiatur. Proindeque, licet Papa, si titulum spirituales concedat, mediante pretio, simoniam admittat, sed absque incurso poenæ per notata Fagnani ad *cap. cum pridem de Past. num. 57. & seqq.* secus tamen accidit, si quotam fructuum dismembret à canonia seu titulo beneficii: quia tunc solummodò transgreditur Legem positivam, quæ talem quotam assignavit, ac fieri potest à Papa vel supremo cuicumque Legi

An & quando incurratur simonia in electionibus &c. 241

Canonicæ. Fagnan. ad *cap. non sine de Arbitr. num. 5. & cap. nisi essent de Præbend. num. 3.* Ita ferè Card. Petra d. pag. 503. num. 17. Confirmatur ex dictis à nobis *hoc cap. num. 265.* ubi concessa est S. Pontifici facultas, dispensandi in simonia beneficii, quando res extrinseco spiritualis datur pro re temporali, si

enim dispensari possit cum alio, ut, qui beneficium v.g. resignat, sibi reservet pensionem: quid obest, quòd non etiam secum ipso dispensare, vel potius declarare valeat, seu, concurrente rationabili causâ, etiam sibi pensionem aliquam reservare posse?

QUÆSTIO II.

Num simonia committi possit, in Capellanis & similibus beneficiis, auctoritate Ordinaria non erectis.

9. Resolvit hoc quæsitum, quòd paucis verbis attigi in *hoc cap. num. 89.* Eminentiss. Petra d. pag. 503. num. 21. dicitque, non committi simoniam interveniente pretio, si ve sint capellanæ cum onere Missarum, sive hospitalia. Ratio est: quia, ex quo beneficia Ecclesiastica verè talia & in titulum erecta, non sunt, nullam spiritualitatem important; sicque à patronis & provisus non aliter, quàm aliæ res temporales tractari possunt. Gibalinus de *Simoniam q. 20. consuet. 6.* Lotter de *Re beneficii lib. 3. q. 29. num. 91.* Gonzalez in *Cap. insinuatum de Simoniam num. 8.* Corrad. in *Præxi beneficio. disp. 1. lib. 4. cap. 5. num. 57.*

10. Proceditque hæc resolutio, teste Petrà, eò magis in jure nominandi ad hujusmodi capellanias & hospitalia: quia in his verè non cadit presentatio, conveniens beneficiis Ecclesiasticis, sed jus nominandi alicujus rei temporalis, prout ceteri debent simoniae capellanæ, seu legata laicalia & temporalia. Card. de Luca de *Benefic. dist. 80. num. 17.* Rota de *decis. 264. & 265. p. 2. diversor. & coram Duno.*

11. Jun. *decis. 101. num. 2.* Et ita fuit resolutum in causa Romana pro DD. Hieronymo Berto, & Masserotto 8 Maji 1704. in Congreg. particulari, à Sanctissimo deputatâ; ubi, cum fuerit dubitatum, an sustinerentur nominationes ad duas Capellanias non collativas in Ecclesia Montis Marii, factæ mediante remissione fructuum administratorum ad favorem nominantium, fuit responsum pro validitate & subsistentia nominationum, nec potuisse incurri simoniam ex dictis.

Dices: quòd, etsi non detur in ejusmodi Capellanis vera simonia, attamen actus ille nominationis pro pretio sit prohibitus ab Ecclesia tanquam simoniacus; uti prohibita est talis provisio de officio custodis, sacristæ, prorectoris in *cap. Salvator 8. l. 9. 3. cap. si quis 8. ead. quest. 1. cap. consulere 38. de Simon.*

Resp. cit. Petra, qualitatem simoniacam ab Ecclesia adjectam fuisse hisce muneribus propter administrationem rei Ecclesiasticæ juxta aliquos, vel spiritualis secundum alios, ut notat Glossa in *cit. cap. Salvator in verb. Judicem &c.* In his autem Capellanis nullam posse considerari qualitatem Ecclesiasticam, nec spiritualem, cum habeantur earum redditus, tanquam laicales, & non subdantur oneribus reddituum Ecclesiasticorum, seminariorum, procurationis Episcoporum, decimarum, & hujusmodi: Et licet ad sit onus celebrandi Missas, tamen id est accidens, quòd non mutat qualitatem rei: nam potest etiam injungi laico, ut faciat per alios celebrari Missas. Interim allegatus Cardinalis monet, ejus generis actus, tanquam irreligiosos, non esse practicandos & approbandos; imò omninò à Curia Romana non admittendos, si agatur præsertim de pretio, pro ipsa nominatione Capellanæ recipiendò, vel transferendò eas, aut permutandò; permittit potius aliquâ applicatione fructuum, tantum inter varios nominatos faciendâ; adducitque in *num. 22.* decreta S. Congregationis.

QUÆSTIO III.

An & quando incurratur simonia in electionibus ad Prelaturas Ecclesiasticas?

16. Præter casus complures, in quibus simonia incurritur in ejus generis electionibus, passim in *hoc cap.* generaliter & specialiter recensitos, adhuc unum & alterum enumerare haud pigebit. I. est, si quis ad eligendum moveatur ex timore omittendi rem temporalem. Quamvis enim per se loquendò, & præscindendò à conventionem vel pacto neque simoniacum neque ex alio capite illicitum sit, ex metu mali agere aut facere aliquid spirituale, dum Leges & Canones per sepe inducunt & animant homines ad ope-

ra spiritualia per comminationem poenæ temporales v.g. subtractionis fructuum; præterquam ubi res spiritualis indignè tractatur, ac v.g. ex metu temporalis incommodi indignus eligitur, uti prolixè ostendit Passerin. de *Elect. cap. 7. à num. 86.* Nihilominus, si pactum aut conventio accesserit, veluti si Titius Sempronium sub comminatione spoli, mutilationis, alteriusve cruciatibus compellat ad promittendum, quòd velit eligere Cajum, juxta *cit. Passerinum num. 91.* erit simonia: quia in effectu idem est, ac si spiri-

Hh

tua-

tuale detur pro re temporali conservanda.

- 18 II. est, si permutetur electio cum electione: v. g. si quis dicat eligam te, si tu me elegeris; eligam te in Abbatem, ut me constituas Decanum aut Priorem; eligo te in Episcopum, ut mihi conferas Præposituram; simonia committitur, uti contra Sanchezium cum pluribus docet Passerin. d. cap. 7. n. 149.
- 19 Nam & universim in cap. ult. de Pact. pactio- nes de rebus ac juribus spiritualibus improbatæ noscuntur; & in specie circa præben- das & beneficia rejiciuntur in cap. quæsitum 5. de Rev. permutat. & adhuc specialius in cap. de hoc II. de Simonia tanquam simoniaci dam- nantur & puniuntur, qui Prioratum aut be- neficium acceperunt ab Episcopo, cui sub ea conditione votum ante electionem pro- miserunt, ut ejusmodi munera ab eo reci- perent. Nempe, ut Suarez de Simonia cap. 39. num. 14. apud Passerinum d. l. n. 155. discurret, si beneficium, quod datur pro Præ- latura, consideretur ut pretium, est munus à manu; & si consideretur vox electionis, ut data pro beneficio, est munus ab obse- quio spirituali.

III. cit. Passerinus num. 150. & seqq. inter 21 casus simoniacæ labe infectos refert, quando, interveniente pactio, unus dicit: me viven- te nunquam Prælatum fiet Cajus, nisi fiat Se- jus; vel quando dicitur: canonizemus ne- potes nostros, placeat tibi eligere meum in Canonicum, & ego eligam tuum; vel quan- do unus ex electoribus dicit: tu exauditus es in una electione, fac, ut ego audiar in alia.

IV. d. Passerin. in num. 255. pactum si 22 moniæ obnoxium pronuntiat, quò duo con- ventunt, ut eorum unus non concurrat cum alio ad hanc electionem, eâ lege, ut alius non concurrat cum ipso in ordine ad aliam electionem: quoniam utraque negatio est effectivè res spiritualis.

V. denique hic Author simoniacum cen- 23 set in num. seq. qui pecuniâ quæpiam obli- gat, ut incutiat timorem alteri competitori, ad hoc, ut cesset à concursu ad electionem cum ipso: nam hic pretio emittit res spiri- tualis, quatenus comminatio & incussio ter- roris ordinatur ad tollendum impedimen- tum & removendum competitorum, ut dans facilius & certius eligatur.

CAPUT II. De Usura.

SUMMARIA.

- 1. Usura lucratoria nec consuetudine nec concessio- ne Principis fieri possunt licita. 2. & seqq. Enervatur quadam instantia. 5. & seqq. Agi- tur de paritate inter mendacium & usuras. 9. & seqq. Ostenditur, quòd materia proxima usura sit lucrum ex mutuo. 13. & seqq. Dispa- ritas inter præscriptionem & usuras roboratur. 19. & seqq. Duplicis generis poena contra usu- rarios. 21. & seqq. Poena Juris Canonici. 24. & seqq. Poena Juris Civilis. 27. Non afficiunt usurarios non - manife- stos.

QUÆSTIO I.

Possitne usura consuetudine vel concessione Principis reddi licita?

- 1 Cum sententia communissima in hoc cap. à num. 37. dixi, quòd usura merè lucra- toria non possit fieri licita. Postquam enim jam antea num. 22. & seqq. ostendi, usuras merè lucratorias adversari Juri Divino & Natu- rali; pròd alveò sequela deducitur, eas nec consuetudine nec concessione Principis licitas reddi posse.
- 2 Si respondeas: usuras lucratorias esse Jure naturali & Divino tantum conditionatè prohibitas, quousque nimirum Respublica vel alius Magistratus, in cujus dominio res & bona privatorum existunt, propter bonum commune aliud ordinandum non judi- caverit; item si fraus vel avaritia aut crude- litas interveniat, aut usurae sint excessivæ.
- 3 Contra est: tum quia usurae lucratoriae Jure naturali & Divino absolutè & sine ali- qua conditione sunt prohibita; utpote cum ipse Pontifex in cap. super eo 4. de Usurar. nul-

lam agnoscat in se dispensandi facultatem, non minus, quàm in mendacio, quod in nul- la circumstantia potest fieri licitum; & in Clem. un. eod. tit. omnia statuta & decreta contraria annullat: tum quia, si fraus, avari- tia, aut excessus interveniat, aliunde perspe- ctum habemus, ex hisce titulis lucrum ali- quod percipi non posse; sicque, ne gratis & absque ullo effectu dicamus, usuram lucra- toriam Juri naturali & Divino repugnare, fa- teamur necesse est, illam absolutè & in om- ni circumstantia censeri prohibitam.

Neque regeras: cum mendacio non con- venire usuram moderatam, ob bonum pu- blicum permissam: cum illud non pendeat ab alto Principis dominio, sicut res fortunæ; licet paritas esse possit, si usura spectetur ut læva charitatis.

Nam in contrarium 6 manifestè pugnat cit. cap. super eo 4. de Usur. ubi Alexander III. respondet: quòd, cum usu-

rarum crimen utriusque testamenti pagina detra- hatur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia, cum Scriptura Sacra pro- hibeat pro alterius vita mentiri, multò magis pro- hibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita ca- ptivi usurarum crimine involvatur.

7 Hic Pontifex argumentum ducit à minoriad majus, magisque censet vetitas usuras, quàm mendacium; & quidem etiam in illa hypo- thesi, quâ non tantum læditur charitas, sed opus charitatis maximum per redemptionem vitæ captivi exercetur. Ergo allata respon- sio textui & rationi cit. cap. nullatenus satis- 8 facit. Quòd verò res & fortunæ civium pendeant ab alto Principis dominio, non facit, ut usura merè lucratoria ex Principis concessione fiat licita: nam materia proxima usurarum juxta annotata in hoc cap. num. 45. & seqq. est lucrum, supra fortem principalem ex re sterili vi mutui perceptum; tale autem lucrum non magis ex alto dominio pendet, quàm fructus alius, ex re infrugifera perci- piendus.

9 Si dicas cum P. Pichler ad cit. de Usur. sub num. 10. lucrum malè vocari materiam pro- ximam usurae, cum sit ipsa usura; idque lu- crum provenire quidem ex pecunia, tanquam re sterili, si consideretur naturaliter & in se, secus ubi spectatur civiliter, & quatenus sub- stat industriæ humanæ, uti domus, ager &c.

10 Resp. lucrum optimè vocari materiam proximam usurae, non solum quia juxta cit. cap. num. 3. usura, materialiter accepta, est in- crementum, quod ultra fortem principalem percipitur, sed etiam quia accepta formaliter est pactio, quâ ultra principalem fortem lu-

11 cri gratiâ quidpiam ex mutuo solvitur. Usura quippe ex se & nativa indole non est ma- la, sed potest in omnibus ferè contractibus bonæ fidei licitè exigì, si unus ex contrahen- tibus versetur in mora ex dictis eod. cap. n. 109. At malitiam omnem exinde capit, si in mu- tuo, veluti contractu stricti juris, debitor ad majorem summam, quàm acceperit, resti- tuendam obligetur; sicque sit merum lucrum, absque ullo titulo à creditore seu mutuante 12 perceptum. Neque juvat, quòd pecunia

in civili consideratione sit res frugifera: nam in mutuo ea de causa non potest considerari civiliter, quòd nulla interveniat industria humana, sed factum naturale tantum, quòd creditor debitori tot & tot florenos nume- rat & consignat; & quamprimùm debitor pecuniam numeratam acquirit, fiat ejus do- minus, indeque non creditori sed debitori, ceu domino, civiliter fructificare debeat.

Equidem Authores, à nobis dissentientes, 13 vehementer urgent paritatem cum præscri- ptione, in qua Legislator statuere potuit, ut res auferatur suo domino, & tertius ex re aliena lucrum sentiat. Sed disparitatem 14 non unam dedi in sæpe cit. hoc cap. num. 52. & seqq. ac in secunda memini, in præscriptio- ne materiam remotam & proximam, posses- sionem scilicet alienæ rei, subesse Principis eminenti dominio; in usura verò tantum ma- teriam remotam. Miror nihilominus, 15 quòd, cum partes defensoris in hoc argu- mento subirem, cit. P. Pichler munus obji- cientis seu actoris mihi imponat; simulque exprobrare audeat, possessionem rei à me per- peram vocari materiam præscriptionis, eò quòd ea potius ad ejus formam tanquam es- sentialia constitutum pertineat. Possem, 16 si vellem, in hac arguendi methodo multa carpere vel castigare; verùm, quia nihil aliud, quàm veritatem inquirò, ad illius fulcimen- tum sufficere credo mea antehac stabilita

17 principia, quòd nempe possessio vel ideò ad formam præscriptionis referri nequeat, quia præscriptio privativa nullam omninò posses- sionem desiderat, & primum ac principale constitutum præscriptionis est privilegium temporis. Itaque præscriptionis positivæ materia proxima rectissime statuitur possessio rei alienæ, vel res aliena, à nobis bonâ fide possessa, quæ, si tempus, à Lege determina- tum, fuerit expletum, nostro dominio irrevocabiliter accedit.

Quid jam pro foro externo Princeps sta- 18 tuere possit circa moderatam quantitatem, quam ultra summam capitalem in mutuo sti- pulari, & acceptare liceat, satis declaratum opinor in præf. cap. à num. 47.

QUÆSTIO II.

Quenam sint poenæ, in Usurarios à Jure constitutæ?

- 19 Urfaga in Instit. Criminal. lib. 3. tit. 7. n. 16. facit duplicis generis poenas. Primum est earum, quæ à Jure Pontificio prodita sunt, & ad Ecclesiasticum tribunal pertinent in- coercendis usurariis conventionibus tam Clericorum, quàm Laicorum. Alterum est illarum, quæ, licet pleræque proveniant à Jure Ecclesiastico, in foro quoque sæcula- ri receptæ sunt, & per eas à sæcularibus Po- 20 testatibus usurarii laici puniuntur. Ad primum genus pertinet irregularitas, suspen- sio, privatio absolutionis, SS. Evcharistiæ, & sepulturæ Ecclesiasticæ, de quibus in hoc cap.

num. 138. & seq. Addit verò Urfaga d. l. 22 num. 19. excommunicationem, incurrendam à laicis, si admoniti ab usurarum exercitio non abstinerint cap. præscritæ 7. cap. unat 13. de Usur. Addit etiam in num. 21. obla- 23 tiones, quatenus, si publicè fiant ab usura- riis in Ecclesiis, à Sacerdotibus recipi non possunt, & si fuerint receptæ, debent resti- tuti sub poena suspensionis ab officio, arbitrio Episcopi infligendæ. cap. quia in omnibus 3. d. 1. Ad secundum genus præter instabilitatem & infamiam, de qua egimus in d. hoc cap. num. 136. & seqq. revocat Urfaga in num. 25. de: Hh 2

denegationem appellationis, si condemnatus per sententiam nolit restituere usuras cap. 25 *quàm perniciosum* 11. de Usur. item in num. 26. obligationem, vi cuius tenentur exhibere libros rationum, & omnes scripturas, ad negotiationem & mercaturam spectantes Clem. 26 un. §. *ceterum eod. tit.* item in num. 28. poenam extraordinariam, arbitrio Judicis decernendam arg. textus in l. locatio 9. §. 5. ff. de Publican. & velligal. l. de his 1. §. 1. ff. de Effra-

tor. l. *hodie* 17. ff. de Pen. Consentit Ludovicus de Ameno de Delict. tit. 3. §. 8. num. 12.

Quod tamen notavi in sæpe d. hoc cap. num. 139. pœnas hasce non incurri, nisi ab usurariis manifestis; id quoque notatum lege apud cit. Ursagam num. 16. ubi dicit, usurarios non manifestos incurere solum pœnas Juris Divini & Naturalis, quæ sunt restitutio usurarum extortarum, & æternum supplicium, nisi, restitutis usuris, poenitentiam egerint.

CAPUT III.

De Infidelitate, Delictis Clericalibus, & aliis Delictis Ecclesiasticis.

SUMMARI A.

1. & seqq. Describitur processus pœnalis contra lapsos in hæresim. 9. Item contra relapsos. 10. Pœnas Ecclesiasticas nullus hæreticus evadit. 11. & seqq. Dilucidatur, quinam libri dicuntur hæretici. 12. Sapientes hæresim. 13. Erronei. 14. Temerarii. 15. Schismatici. 16. Scandalosi. 17. Injuriosi. 18. Impii. 19. Blasphemi. 20. Aut omnibus his qualitatibus infecti. 21. Cognitio de hæresi spectat ad Judicem Ecclesiasticum. 22. Etiam si tantum incidenter de ea agatur. 23. Nisi questio

sit de nudo facto. 24. & seqq. Quò sensu Leges Civiles tractent de hæresi & hæreticis. 26. & seqq. Multifarii casus enumerantur, in quibus Sacerdotes celebrantes delinquant. 43. Duellum ad apparentiam non est verum duellum. 44. Saltem in foro interno. 46. Requiritur determinatio certis loci & temporis. 46. & seqq. An pœna duellantium incurrantur ipsò facto? 48. Cessant, si unus tantum ex complicibus compareat.

QUÆSTIO I.

Quibus pœnis afficiantur hæretici in foro Ecclesiastico?

1. Pœnas has ordine recensui in hoc cap. à numero 31. recensetque fusiùs Ludovicus de Ameno tit. 2. §. 7. à num. 38. Quando nam autem illis coërceantur hæretici? variis distinctionibus resolvit Ursaga *Instit. Criminal.* lib. 1. tit. 6. à num. 30. Refert scilicet, an hæretici lapsi tantum sint, an relapsi. Si lapsi tantum sint, & sponte compareant, ad misericordiam benignè suscipiuntur, parciturque eis quoad pœnas temporales, impositâ salutari poenitentia, & abjuratâ hæresi; licet etiam hæresiarchæ seu hæreticorum Magistri fuerint, prout contra dissentientes cum Farinaceo docet cit. Ursaga num. 34. ex cap. ad abolendum 9. in verb. *presenti* &c. de Hæret. 4. & Clement ult. eod. tit. in fin. Sin verò sponte non compareant, ac impœnitentes se exhibeant, factâ quoque præviâ & legitimâ admonitione, severè puniuntur, maxime qui hæresiarchæ fuerunt, ad publicum Reipublicæ Christianæ documentum per d. cap. ad abolendum 9. & cap. excommunicamus 13. d. t. At, si poenitentes se ostendant, ac hæresim abjurare parati, veniam & reconciliationem petant, etiam hoc casu, injunctâ salutari poenitentia, factâque juratâ contestatione, quod fidem Catholicam inviolabiliter servare velint, ipsis ignoscitur per cap. saluberrimum 21.

1. q. 7. Idque etiam Eminentiss. Petra in 6. *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 3. pag. 10. numer. 17.* admittit in quocunque statu processus, adeò ut si crimen suum hæreticus in tortura confiteatur, suamque confessionem postea ratificet; quin & si post sententiam & in loco supplicii hoc faciat, ac magna saltem & vera signa contritionis edat, adhuc ab Ecclesia clementer recipiatur. Neque in hæresiarchis idem Petra limitationem admittit, tamen alii reclamant arg. textus in cit. cap. ad abolendum 9. in verb. *aliter sentire aut docere non metuent;* exemplò Berengarii, qui, licet hæresiarcha fuerit, admissus est ad poenitentiam per cap. ego Berengarius 42. de Consecrat. dist. 2. Consentit Ursaga d. l. n. 48. afferens duo exempla, non adeò antiqua. Relapsi in hæresim curiæ sæculari tradi, & ultimum supplicio affici debent d. cap. ad abolendum 9. §. *illos quoque* &c. cap. super eo 4. de Hæret. in 6. quidquid dicunt aliqui, quorum dictum, ut ait Ursaga d. l. num. 49. verificari posset in solo casu, quò relapsus, antequam fuerit accusatus, vel inquisitus, sponte & ex corde poenitens errorem fateatur, veniamque imploret.

Planè, si loquamur de pœnis Canonicis, ipsò jure in hæreticos statutis, uti v. g. est

excommunicatio, illos incurrit hæretici quicumque, etiam si poenitentiam egerint; solumque evadunt pœnas temporales, vel

arbitriò Judicis infligendas per ea, quæ tradit Ursaga d. lib. 1. tit. 6. numer. 39. & seqq.

QUÆSTIO II.

Quenam propositiones dicantur hæreticæ, hæresim sapientes, erroneæ &c.?

10. Quoniam in Bulla Cœnæ & aliis prohibentur libri hæreticorum, in quibus propositiones hæreticæ continentur, operam non perdam, si, quæ sæpe laud. Ursaga Juris utriusque ac SS. Theolog. Doctor impræsentiarum adnotavit, huc transferre. Nempe, sicut scribit in cit. lib. 1. tit. 6. à num. 56. I. propositio hæretica vocatur, quæ in aliquo adversatur Catholicæ fidei, seu propositionibus, contentis in Veteri & Novo testamento, Conciliis, & Summorum Pontificum constitutionibus.

12. II. propositio, *sapiens hæresim*, est, quæ primâ consideratione præfert sensum hæreticum, piè tamen intellecta potest habere sensum Catholicum: e. g. si quis dicat, Bibliam esse falsam, juxta primum & simplicem verborum tenorem, facit propositionem hæreticam; si autem, qui ita loquitur, intelligat Bibliam alicujus particularis impressoris, vel ab aliquo depravatam, propositio potest esse Catholica.

13. III. propositio *erronea* est, quæ minùs continet, quàm hæretica, cum sit contra veritatem, vel ab Ecclesia necdum definitam (licet aliunde sit manifesta) vel à proferente ignoratam.

14. IV. propositio *temeraria*, quæ aliquid asseritur tanquam certum, quod non potest efficaciter probari ratione, vel autoritate; ut si quis diceret mundum intra 10. annos perituum.

V. propositio *Schismatica*, quæ inducit divisionem in Ecclesia, veluti si quis asserat, posse eodem tempore dari duos Pontifices, legitime electos.

VI. propositio *scandalosa*, seu *malè sonans*, 16. vel *piarum aurium offensiva*, quæ legentibus ruinâ spiritualis seu peccati causam, vel facilitatem ad peccandum asserere potest, etiam si errorem in fide non contineat; sicut si quis dinumeraret commoda, ex veneris complexibus quoad sanitatem resultantia: si ve enim vera sive falsa proferret, possent homines ad peccatum & ruinam spiritualem allici.

VII. propositio *injuriola*, quæ detrahit fideli, aut personæ insigni.

VIII. propositio *impia*, quæ tendit contra pietatem, puta si quis efficeret, mortuos non esse sepeliendos, aut non faciendam elemosynam.

IX. propositio *blasphema*, per quam DEO 19. & Sanctis irrogatur injuria, vel ei tribuendò, quod non convenit; vel ab eo removendò, quod convenit; vel tribuendò creaturæ, quod proprium DEI vel Sanctorum est.

Porrò contingere potest, ut, licet hæ propositiones sint diversæ, in una tamen vel omnes vel aliquæ simul & semel concurrant. Ursaga d. l. num. 65.

QUÆSTIO III.

Ad quem spectet Cognitio de hæresi?

21. Spectare ad Judicem Ecclesiasticum, indubitati Juris est cap. *ut inquisitionis* 18. §. *prohibemus de Hæret. in 6.* Rationem dat Eminentiss. Petra cit. tom. 3. pag. 6. num. 7. quia hæresis concernit fidem, estque crimen merè spirituale & Ecclesiasticum, cujus disceptatio privativè pertinet ad forum Ecclesiasticum. Hocque in tantum procedit, ut Judex Laicus ne quidem incidenter de hæresi cognoscere, aut, si actori opponatur à reo per modum exceptionis, de illa judicare possit. d. cap. §. *prohibemus in verb. quòquò modo cognoscant, aut inducent;* Petra d. l. num. 8. & 9. præterquam si exceptio non tendat ad iudicium super hæresi, sed potius super ejus declaratione jam præteritâ, veluti si reus opponat actori, quòd jam semel pro hæretico fuerit declaratus: tunc enim, cum agatur de nudo facto, an scilicet à Judice Ecclesiastico fuerit pro hæretico declaratus, potest etiam à Judice laico determinari. Idem *ibid.*

Nec obstat, quòd in Jure Civili, præsertim in *Cod. sub tit. de Hæret.* plures reperiuntur Leges, in quibus agitur de hæresi & hæreticis: id enim, uti in aliis criminibus, non est sine agitur, ut potestas sæcularis super qualitate & natura hæresis judicet, sed ut ea, quæ ab Ecclesia contra hæreticos statuta sunt, auctoritate Principum laicorum firmentur, & executioni tradantur; maxime cum hæretici impœnitentes, qui in foro Ecclesiastico ob metum irregularitatis condignâ pœnâ coërceci nequeunt, brachio sæculari extrudantur, non ut de novo judicentur, sed ultimo supplicio afficiantur. Latè Petra d. pag. 6. num. 10. & pag. seq. numer. 11. & seqq. item pag. 8. à num. 1. ubi explanat constitutionem Frederici II. Imperatoris, quæ pœnam ignis seu concremationis in hæreticos statuit.

QUÆSTIO IV.

Qualiter Sacerdotes in celebratione Missæ delinquant?

26 Multifariè possunt delinquere Sacerdotes in Missæ celebratione, prout videre est apud Ursagam *Instit. Crim. lib. 1. tit. 4. à n. 36.* Nempe delinquant I. si ad Altaris Ministerium accedant non-jejuni *cap. Sacramenta 49. de Consecrat. dist. 1. cap. si confiterit 12. de Acensat. ubi Fagnanus num. 16. & seqq. intelligendò per jejunium, non Ecclesiasticum, sed naturale.* II. si celebrent sæpiùs in una die, exceptatum Nativitatis Dominicæ solennitate, tum moralls necessitatis, tum Sacrificiù interrupti perficiendi exigentiâ; licet enim, ut disserit Ursaga *d. l. num. 37.* per Sacros Canones expressè non reperiatur prohibitum, sed dicatur solum, quòd sufficiat unam Missam celebrare *cap. sufficit 53. de Consecrat. d. dist. 1. cap. consulisti 3. de Celebrat. Missar. hodie tamen reiterata celebratio, tanquam potius avaritiæ quàm devotio- nis causâ facta, judicatur valde gravis inhonestâ, & non leve crimen continet, punibile etiam ab Inquisitoribus hæreticæ pravita- tis, ut observavit Gonzalez ad *cit. cap. consulisti in f.* Videatur Pignatell. *tom. 4. conf. 1. à num. 5.* ubi tractat de pœna transgressorum.*

29 III. si Sacrificium offerant super Altari non consecrato *cap. tabernaculum 2. junctò cap. nul- lus Presbyter 25. de Consecrat. d. dist. 1.* IV. si Sacrificium peragant sinè admixtione aquæ *cap. cum Martia 6. §. quævisisti. cap. in quadam 8. cap. ult. de Celebrat. Missar.* V. si Missam celebrent sinè accensis candelis *d. cap. ult. de Celebrat. Missar. ubi quidam Presbyter Brixinensis, qui ita celebraverat, & alios abusus in Missa admitterat, fuit ab officio & benefi- cio suspensus.* Ut verò candelæ sint ex cera, est quidem antiquissimus usus Ecclesiæ; at tamen in *cit. cap. ult.* nihil de cera determi- natur, sed tantum dæmnatur præfatus Pres- byter, qui sinè igne sacrificabat. Quare (verba sunt Pignatelli *tom. 7. consult. 55. n. 4.*) licet uti luminibus ex oleo, uti sit coram SS.

Evcharistiæ Sacramento; vel ob præcisam necessitatem ex adipe, saltem ex dispensatio- ne Apostolica: cum id sit tantum contra con- suetudinem Ecclesiæ, in qua ob gravem ne- cessitatem potest dispensari. VI. si con- ficiant sanguinem Christi in calice ligneo vel vitreo *d. cap. ult. de Celebrat. Missar. cap. vasa 24. cap. ut calix 45. de Consecrat. dist. 1.* VII. si absque vestibus sacris ministeriò Altaris fungantur per *cap. Ecclesiastica 9. dist. 23.* VIII. si celebraverint in locis aut domibus privatis, vel in oratoriis, sinè licentia Episco- pi erectis *cap. hic ergo 14. cap. nullus 15. de Consecrat. dist. 1.* IX. si propter crapulam aut ebrietatem Evcharistiam evomuerint *cap. si per ebrietatem 28. de Consecrat. dist. 2.* X. si per ipsorum negligentiam aliquid de san- guine Domini stillaverit in terram, tabulam, Altare, aut linteamina *cap. si per negligentiam 27. cit. dist.* XI. si Missam celebrandò se fin- gant consecrare hostiam, & non consecrent, illamque populo adorandam ostendant *cap. de homine 7. de Celebrat. Missar.* XII. si post Consecrationem Corporis & Sanguinis Do- mini ad ejus lumptionem non devenerint, ac communionem omiserint *cap. relatum 9. de Consecrat. dist. 2.* XIII. si in materna & vulgari lingua Missam dixerint. Concil. Trid. *Sess. 22. cap. 8.* XIV. si Sacerdotes, cu- ram animarum non habentes, cessante legiti- mo impedimentò, non celebrent saltem quater in anno & præcipuis festivitibus; tum quia, ut dicit Ursaga *d. l. num. 58.* alio- quin præberetur occasio scandali: tum quia id præcepisse videtur Christus Dominus, cum dixit Apostolis: *hoc facite in meam commemorati- onem.* Quamvis S. Congregatio con- sulta, an Episcopus possit sub pœnis & cen- suris ad id simplices Sacerdotes cogere, re- sponderit, solis adhortationibus & admoni- tionibus uti posse. Fagnanus ad *cap. dolentia de Celebrat. Missar. num. 13.*

QUÆSTIO V.

Quale duellum, & sub quibus pœnis, sit prohibitum?

44 Declaratum id *hòc cap. à num. 102.* Modò addendum I. ex Ludovico de Ameno *de Delict. tit. 7. §. 4. num. 18.* & sententia Ur- sagæ *Instit. Criminal. lib. 2. tit. 5. num. 66.* non cenferi verum duellum, quod instituitur ad solam apparentiam, puta quia duo antea inter se conveniunt, quòd nullus alterum vul- nerare, sed honoris causâ duellum simulare velint. Subjungit tamen hic Author, eandem sententiam procedere solum in foro interno quoad pœnas spirituales, non etiam in foro externo & quoad pœnas temporales, dum in eo foro non perferuntur animi cogitationes, sed actus externus attenditur. Pignatell. *tom. 9. consult. 88. num. 92.*

II. ex mente dicti Ludovici de Ameno *num. 6. & seq. ac Ursagæ num. 69. & seq.* deter- minationem certi loci & temporis, & mu- tuam acceptationem esse planè necessariam pro formali duello, adeò ut, si provocatus provocanti responderet: *sum Christianus, non accepto duellum, sed vado per civitatem, & primò vice, quæ mihi obviabit, dabo tibi satisfactionem;* uti & si diceret: *pugnabo tecum primò vice, quæ mihi per urbem venies obviabit &c.* non verifica- retur duellum, ex quo tota urbs non est prop- ria loci assignatio. Pignatell. *d. conf. 88. num. 90.*

III. juxta *cit. Ursagam num. 88.* pœnas. **47** in

in duellantes constitutas, non incurri ante sententiam Judicis declaratoriam: quia, tam- etsi Concil. Trid. statuerit excommunicatio- nem latæ sententiæ, at tamen ex ratione per Sylvestrum in *summa verb. assassinus num. 4.* ad- ductâ, omnia Jura mundi quæ dicunt, ipsò factò vel ipsò jure pœnam imponi, intelligi debent, dummodò secuta fuerit sententia, per quam declaratur, fuisse commissum cri- men, propter quod pœna illa ipsò factò im- ponitur. Quoad excommunicationem verò & sepulturæ Ecclesiasticæ privationem valde dubito, an non, saltem in casu duelli notorii, absque alia declaratione incurran-

tur: cum ejusmodi pœnæ statim operentur suum effectum, esto nulla sequatur criminis declaratio. Clariss. P. Schmalzgueber ad *rit. de Cleric. pugnans. in duello num. 53. & 57.* Pignatell. *d. l. numer. 74. & seqq. item nu- mer. 161.*

IV. cessare pœnas duelli, quando quis statuto tempore & loco comparuit, paratus ad conflegendum, sed, non comparentè ad- versariò, rursus discessit *arg. Concil. Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 19. in verb. qui vero pugnam commiserint &c.* Pignat. *d. l. num. 95. & seqq.* ubi dissentientibus, & contrarium stylium curiæ objicientibus, respondet.

SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM III.
DE
DELICTIS SÆCULARI-
RIBUS.

CAPUT I.

De Privatis, & quasi-Delictis.

SUMMARI A.

1. Clericus ob factum non manifestum non puni- tur nisi pœnâ levi. 2. & seqq. Punitur autem ob factum manifestum. 5. & seqq. Disquiri- tur, an fur à pœna excusetur, si dominus rei ablata dicat, se non fuisse in vitium? 7. & seqq. Ex L. Aquilia potest agi ob culpam levissimam. 12. Etiam si in omitendo consistat. 13. & seqq. Exenteratur l. 13. §. 2 ff. de Usufr. 16. Ex culpa merè juridica non oritur obligatio in conscientia. 17. & seqq. Ab injuria quis ex- cusetur, quando abest animus injuriandi. 21. Aut calor iracundia concurrat. 22. & seqq.

Si iusta fuerit, ortaque ex alterius improbitate? 25. & seqq. Examinatur, an vitium corporis, alteri objectum, excuset? 29. & seqq. Item an veritas convitii? 35. & seqq. Item si quid contra mortuum aut absentem dicatur? 40. & seqq. Item si dicta ab aliis promulgentur? 44. Ex damno, ab animali dato, non consurgit obligatio conscientia. 45. & seqq. Confirma- tur paritas inter delictum Legis Aquiliae & damnum, ab animali causatum. 50. & seqq. Ratio opposita enervatur.

QUÆSTIO I.

Quomodò Clerici puniantur propter furtum?

48 Ursaga *Instit. Criminal. lib. 2. tit. 8. num. 60. & seqq.* ita distinguit. Vel furtum non est manifestum, vel est manifestum. Si non est manifestum, quia v. g. Clericus de facto non est diffamatus, non punitur, nisi aliqua pœnâ levi, & per modum pœnitentiæ lalutaris, nec impeditur ejus promotio. *cap. ult. de Furt.* Si est manifestum, ac de eo Cle- ricus publicè diffamatus, non solum impedi-

tur promovendus, sed etiam deponitur pro- motor *cap. de his verò 34. dist. 50. cap. tunc 6. de Pœnis.* Id quod in *hòc cap. num. 42.* intel- lexi de furto notabili & iterato *arg. cap. Pres- byter 12. dist. 81.* Quòd si depositus incor- rigibilem se exhibeat, excommunicatur, & contumacià perseverante, Curia sæculari tra- ditur *cap. cum non ab homine 10. de Judic.*

An Clericus vel alius fur à pœna furti li- bere-